

utili Ecclesie operi navanda. Cum enim illis temporis angustiis difficile sit judicium illius, qui zelo, charitate, atque amore martyrii ceteris omnibus preterit; melius Deus in omnibus ambagibus illis quam homines, judicat. Res quidem, addit Augustinus fiet minus usitata, si fiat ista sortio, sed si facta fuerit, quis eam reprehendere audebit?

Idem data proportione de electionibus reputandum est, ad sortis judicium nunquam recurendum, nisi quando nulla alia voluntatis divinae exploranda ratio suppetit. Quandoquidem, ait S. Augustinus (l), fors non aliquid mali est, sed res est in dubitatione humana divinam indicans voluntatem. Profecto si malum aliquid fortes reputanda essent, nunquam id commississent Apostoli, ut S. Matthiam sortitio eligerent. Tunc autem electi sunt duo iudicio humano, electus est de duobus unus iudicio Divino. Nec tamen exemplo Apostolorum excusantur illi, qui gravi nulla cogente necessitate fortes admovent; siue qui segnitie quadam explorandi atque fecernendi digniorem, ad iudicium divinum per sortes explorandum omnem electionem deferunt. Scitum est enim illud S. Hieronymi (m): Cum privilegia singulorum non possint legem facere communem.

Solemne erat apud Christianos quosdam in Africa, ut in rebus etiam communibus Librum Evangeliorum per sortes consulere, finitrum vel prosperum inde omen capturi, prout casu sese legenda offerebat sententia, qua favor aliquis vel secus sponderetur. S. Augustinus Ep. 55. nov. edit. num. 37. superstitionem hanc suffragio approbandam suo nunquam censuit, quanquam minus criminofam judicaret altera, Magos nempe & Demones consulendi. De hac pariter ratione consulendi sacros Libros sermo est apud S. Gregorium Turonensem Hist. lib. 5., feruntque id pariter in moribus positum habuisse S. Franciscum Assisensem, ut in rebus agendis consilium ex aperto casu Libro Scripturae quaerere (n). Obtinebat pariter, ut post electionem novi alicujus Episcopi, ex aperto Libro Evangeliorum omen futurae illius administrationis caperetur.

Id pariter in electionibus servatum, exemplo S. Aniani Episcopi Aurelianensis docemur. Cum decessor illius vir sanctissimus intelligeret, populum pro electione successoris in diversa abire studia, quaerit ab illis, num vellent ad iudicium Dei omnia deferre, cujus voluntate statim eligendum Anianum noscerent. Indictum illico trium dierum jejunium; quo absoluto, coactoque populo, scheda super Aram imposita sunt; statimque accitus loqui adhuc nescius praetate infantulus, vix manum ad apprehendendam ex Altari schedam, extenderat, cum subito soluto linguae vin-

culo Anianum Episcopum clara voce pronuntiavit; quibus dictis, iterum ad pristinam rediit imbecillitatem. Quod vero nullus esset ambigendi locus, aperto Psalterio occurrit sententia illa: Beatus quem elegeris; tum ex libro Epistolatum subiectum oculis illud: Nemo potest fundamentum aliud ponere; tum ex Libro Evangeliorum: Et super hanc petram fundabo Ecclesiam. Ita communi assensu renunciatus in Aurelianensem Episcopum Anianus. Sed pietati dandum est, quod negatur consuetudini; nunquam enim communi lege talia admissa unquam scimus; quae pariter sapientissimi Ecclesiae Pastores improbanda censuerunt, atque cultioribus facultis abrogata sunt.

Profecto in electionibus magis quam in ceteris aliis omnibus reprobanda fuerant, quod scilicet de re maximi momenti ageretur; Deus enim nunquam adfuturum se promisit electioni, quae per fortes fieret, ut proinde ea eligendi ratio, nunquam servaretur citra tentationem ipsius Dei, atque discrimen erroris, in quem electores ultro impingere voluissent. Si forte in singularibus quibusdam eventibus id accidisset, ut suffragia electorum & meritum inter duos aliquos ambigerent, nec alia coeundi inter partes suppeteret ratio, tunc quidem tunc ad Apostolorum exemplum confugeretur, sortibus admittis; prius tamen Dei manus imploranda jejunis & precibus, quorum merito purgaretur quicquid illegitimum pravumque in ea eligendi ratione subreperet. Illud insuper a Deo precibus impetrandum esset, ut apertam adeo voluntatis suae daret significationem, quod lites omnes & pax inter electores componeretur. Hac veterum recentiorumque Interpretum in hunc Scripturae locum doctrina (o).

Quod igitur Dissertationi huic nostrae modum imponamus, statuendum est, nullum electionis Summorum Sacerdotum apud Hebraeos exemplum proposuisse sibi Apostolos in electione S. Matthiae, quippe quorum electio aliter quam per sortes agebatur. Favere tamen poterant eorum consilio fortes, quarum iudicio munera inter Sacerdotes in Templo distribuiebantur. Cum autem nullo adhuc superne affulgente divini Spiritus lumine illustrarentur Apostoli; ideo postquam prudentiae suae partes expleverant omnes, inter selectos duos de toto coetu viros praestantissimos fortes miserant, ut electio in unum aliquem ex illis caderet. Reputandum est tandem, sortium usum, quamvis rite ea occasione ab Apostolis, & rite pariter in singularibus quibusdam eventibus ab Ecclesiis nonnullis adhibita sint, & in paribus rerum, articulis modò etiam consultò admitterentur; generatim tamen in electionibus, quibus Ecclesiae Praesules statuuntur, abjici prorsus & tanquam perniciosas interdicti par est.

1 Aug. in Psal. 30. Enarrat. 3. n. 13. p. 160.

m Hieron. in Jona c. 1. p. 1476. nov. Edit.

n Bonavent. Vita S. Franc. c. 13.

o Vide Bedam hic, D. Thom. ad Hebr. 8. Section. 2. Fromond. Al Lapide hic, Natal. Alexand. tom. 1. Histor. Eccles. Dissertat. 6. faculi x.

IN EPISTOLAM S. PAULI AD ROMANOS PROLEGOMENON.

Post Sacrosancta Evangelia venerabile maxime; ac ceterorum omnium pretiosissimum monumentum S. Pauli Epistola habende sunt. Totum in illis continetur, quod formandis moribus, siue ad mysteria & Religionem constituendam à Jesu Christo traditum est. Tantuque supplementum aliud & interpretatio eorum, quae Jesus Christus docuerat, ac veluti secundum aliquod Evangelium Jesu Christi de mortuis jam reviviscens, jure meritoque reputantur. Etenim nihil aliud docuit Apostolus quam quae à Jesu Christo in gloria sua jam confituito (*) didicerat, quo tempore scilicet ad tertium usque Caelum raptus, audivit arcana verba, quae non dicunt homini loqui (a).

S. Paulus Tharsi in Cilicia natus (b) ex patre Judaeo item ac Romano cive literis Graecis excultus erat, quippe qui Epimenidem (c) laudet, & Aratum (d). Poterat autem Tharsi literis vacasse, in qua scilicet Urbe humaniora studia florebant adeo, ut Athenas literarum gloria superaret, teste Strabone lib. 14. Sacris literis addiscendis Hierosolymam missus est, Legis studio sub Gamalielae Doctore clarissimo operam daturus. Tanto autem Legum avitarum amore tenebatur, ut acerrimum in primis persecutorem se praeberet adversus Jesu Christi Discipulos, quod Christum perinde reputaret ac Moysis amulum, & Legum ipsius subversorem. Vestimenta servabat eorum, qui lapidibus S. Stephanum confecerant (e); & post primi illius Martyris obitum, Summi Sacerdotis literis ad Synagogas Damasci datis, facultatem sibi impetravit capiendi detinendique quemcumque in via Christi Discipulum offendisset. Cum igitur cedens & sanguinem meditans ad eam Urbem sese conferret, subita quadam vi in terram adactus, increpantem se vocem audivit: Saule, Saule, quid me persequeris? Tum caecitate percussus, Damascum manu deductus est. Ibi Ananiam Discipulum conveniens, & visum ab illo, & Baptismi lotionem, ac tandem manuum impositionem recepit.

Præco inde Evangelii effectus, Jesum Christum in ea Urbe primum, tum in Arabia annuntiavit; de qua post longiorem aliquam moram, iterum Damascum repetiit: Mutatum viri animum gravius ferentes Judaei, necis illius consilia agitabant; quorum molitiones subodoratus Paulus, demitti se sunibus ex Urbis moenibus curavit, eo consilio perfructas sibi insidias declinans (f). Contulit se postea Hierosolymam, ubi cum Apostolis, quos forte offendit, res suas omnes communicavit. E Hierosolymam profectus est, quod veniens Barnabas virum deduxit Antiochiam (g), non inutilem futuram eius praesentiam Evangelio propagando intelligens. Ambo pariter, Barnabas nempe & Paulus, Hierosolymam concesserant, ferendis collectis à Fidelium erogationibus elemosynis (h). Reduces inde Antiochiam Spiritus S. seligi iussit, ut in Apostolos dilatanda apud Gentiles fidei ordinarentur. Novo hoc munere auctus S. Paulus, in Cyprum profectus est, ubi Sergio Paulo Procof. fidem persuasit (i). Venit inde Pamphyliam, tum in Pisidiam, & Lycaoniam, ac facile etiam in Galatiam; tandem Antiochia restitutus est (k).

Quinque post annos Hierosolymam ad primum Concilium celebrandum venit. Sanctum ibi, Gentiles, qui ad Christianorum sacra transferant, adigi non oportere, tum ad recipiendam circumcissionem, cum ad legales alias caeremonias observandas; cavere tantum monitos ab Idololatria, fornicatione, usu sanguinis, & suffocati. In eodem Concilio munus Apostolorum, Gentium Paulo & Barnaba assertum est. Restituti post haec Antiochia, eò non diu post venientem S. Petrum exceperunt, cui Paulus coram omnibus in faciem restitit, quod praeposteram dissimulationem, non bono futuram ceteris exemplo, utentem illum animadverteret. Post longiorem aliquam moram, consilium agitavit Apostolus Ecclesias invivendi, quas in Arabia minori operam suam constituerat. Ut secum veniret Barnabam invitavit; sed volente illo unam secum ducere Joannem Marcum, recusante verò Apostolo, secessio utrinque facta est, atque

* Galat. 1. 12.

2. Cor. 12. 2. b. Act. 21. 39. c. Tit. 1. 22. d. Act. 17. 27.

e. An. J. C. 34.

f. An. J. C. 37.

g. An. J. C. 43.

h. An. J. C. 44.

i. An. J. C. 45.

k. An. J. C. 46.